



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 4. Quinam sunt effectus hujus Sacramenti?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

pugnet recto regimini ac debito ordini. In casu tamen necessitatis, quo aliquis infirmus sine hoc Sacramento moriturus esset, quilibet Sacerdos potest & debet ex charitate illud ministrare; nam tunc Ecclesia hanc facultatem concedere censetur. Neque in Clement. I. de Privileg. ubi excommunicantur Religiosi, qui sine licentia Parochi illud sæcularibus conferunt, hic casus necessitatis comprehenditur; alioqui esset in destructionem.

*Resp. II.* Parochus, item Superior Regularium tenetur ex iustitia sub mortali Extremam Uctionem administrare per se vel per alium subditis suis. Quia tenetur ex officio fidelibus suæ curæ commissis ordinaria media salutis à Christo instituta, & in communi usu Ecclesiæ posita subministrare. Idque etiam cum vitæ periculo, si subditus Pœnitentiam non receperit, nec possit recipere; quia fieri potest ut Extrema Uctio ei tunc ad salutem necessaria sit, si nimirum habeat tantum attritionem cum imperfecto Dei amore.

**Q 4.** *Quinam sunt effectus hujus Sacramenti?*

*Resp.* Ex Jac. 5. & Trid. sess. 14. c. 2. multiplex est. 1. Ac præcipuus est gratia sanctificans ut connotans gratias actuales ad alleviandum seu confortandum animam contra morbi molestias, & tentationes diaboli.

2. Est absterisio reliquiarum peccati; quæ sunt non solum pœnæ peccatis debitæ, sed etiam anxietates, infirmitates, torpor seu lan-

guor ad bonum, angor & timor, quæ ex peccatis commissis contrahuntur. Plus autem aut minus abstergit pro dispositione recipientis.

3. Remissio peccatorum tum mortalium, tum venialium. Nam si quæ super sint remittenda, remittit etiam quoad culpam: venialia quidem primariò & per se, mortalia verò secundariò & per accidens in certis casibus. Prob. 1. Ex Jac. 5. *Si in peccatis sit, remittentur ei.* 2. Ex Trid. sess. 14. cap. 2. *Res etenim hæc gratia est Spiritus S. cujus unctio, delicta si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit.* Ubi delicta distinguuntur à reliquiis peccati, & supponuntur non semper adesse infirmo. 3. Ex forma ipsa, *indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti*, quæ importat remissionem peccatorum, etiam quoad culpam.

Non tamen ideò Extrema Unctio est Sacramentum mortuorum, nisi secundariò, secundùm quid, & cum addito restringente ad certos casus, in quibus solis remittit mortalia, nempe quando vel peccata non fuerunt remissa per Sacramentum Pœnitentiæ, propter occultum aliquem defectum; vel post Confessionem commissa sunt, sed memoriâ exciderunt, vel homo propter privationem usûs rationis & sensuum, factus est incapax Confessionis, nec antea habuit Contritionem perfectam, sed tantùm attritionem cum Dei amore non perfecto. Enimverò ex institutione Christi ad remissionem mortalium Pœnitentiæ

tiz Sacramentum præmitti debet Extremæ Uctioni, si possit: quòd si non possit, elicienda est Contritio perfecta; sed quia hæc difficilis est, & non rarò abest, utriusque defectum supplet Extrema Uctio; modo adsit attritio cum aliquo Dei amore, qualis requiritur in Sacramento Pœnitentiæ. Ex quo patet quanti sit momenti Extremam Uctionem recipere, cum illius ope salvari possit, qui alioqui fuisset damnatus, ut docet S. Carol. in Instruct. de hoc Sacramento.

4. Sanitatem corporis interdum, ubi salutem animæ expedierit, confert. Trid. loco cit.

*Q. 5. Quænam ad recipiendum, valide & cum fructu hoc Sacramentum requiruntur?*

*Resp.* Sufficit in homine iusto generalis illa voluntas recipiendi, qua unusquisque Pœnitens, & bene dispositus vult frui omnibus remediis ad salutem suam necessariis vel utilibus à Christo institutis, quamdiu scilicet non est retractata. Constat ex Rituali Rom. & praxi Ecclesiæ illud conferentis, improvise, aliquo morbo oppressis, & sensuum ac rationis usu destitutis. Hanc autem voluntatem habere omnes Christiani præsumuntur. Ut tamen omnium venialium remissionem obtineat, requiritur saltem depositio affectûs ad illa. Sed quia nemo scit, an sit in statu gratiæ, & multa peccata occulta ex ignorantia aut inadvertentia culpabili committuntur, elicienda